

Letter 169: 22 September 1523, Mainz, Johann Stumpf von Eberbach to Capito

For Eberbach see above Ep. 108 note. The manuscript is in the Zentralbibliothek in Zurich (A63, fol. 14) and has been published by Herrmann, p. 232.

Eberbachius Capitoni s. d.

Oro et obtestor, mi Capito, curare velis, ut supprimatur libellus, in quo mentio Schysseri et epistolae Fabri. Nam domi meae epistola exscripta est, dum Schisserus per famulum suum misisset solum ut legerem, unde coniectari facile potest a me divulgatam esse, hincque  
5 exorirentur mihi gravissimae inimicitiae. Alioqui vix vivere licet inter istos; si libellus prodierit, pessime mecum agetur; supprime igitur non tam in gloriam Christi quam meam salutem.

De Hedione nunquam aliter intellexi aut adhuc intelligo, quam quod amicissimo fuerit in te animo et sit. Legi litteras, quas in tui commendationem scripserat Adelmano, in quibus te sibi praefert. Iurare ausim pro Hedione, nihil adversus te clam fecisse hominem, praesentibus saltem  
10 nobis Argentinae, neque in hoc ascendimus, ut ageretur de conditione, et prima eius obeundae mentio facta in aedibus domini decani Argentinensis, nisi me fallant omnia. Vides voluntatem domini ubi secus accidit quam institueras, frustra nos illi opponemus. Gravissime angit hominem, quod tu tantopere commotus es, quamquam sibi omnia de te pollicetur, qui nosti etiam  
15 septuagies septies remittere. Non videtur consultum, quod passim hic traducetur coram amicis, quo conflatur illi invidia, et hic rursus sese excusare non omittat. Sic enim oleum igni vereor adiicietur, et posteriora peiora primis; meliora de vobis omnibus polliceor; si peccavit, vel mei gratia ignosce illi, hoc orarem per Christum Iesum, qui non venit perdere, sed servare, et obvium est, quam pestilens futurum sit inter vos odium, si sic pergatis. Cogitabitis, scio, cuius spiritus sitis.

20 Scriba camerae intra quadriduum dabit pecuniam, quam cum certo nuncio mittam. Bene vale. Ex Moguntia. 22 Septembris anno 1523.

Tuus quantus est, Eberbachius.